



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

II. Vt metropolitanus Arelatensis episcopus ordinet per prouinciam  
Viennensem, & per vtramque Narbonensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

scopi formatas acceperit, quibus sacerdotium suum, vel locum ecclesiasticum quem habet, scriptorum eius ad stipulationem perdoceat. Quod ea gratia statuimus, quia plures episcopi, siue presbyteri, siue ecclesiastici simulantes, quia nullum documentum formatarum extat, per quod valeant confutari, in nomen venerationis irrepunt, & indebitam reuerentiam promerentur. Quisquis igitur, fratres carissimi, prætermissa prædicti formata, siue episcopus, siue presbyter, siue diaconus, aut deinceps inferiori gradu sit, ad nos venerit, sciat se omnino suscipi non posse. Quam auctoritatem vbique nos misisse manifestum est, vt cunctis regionibus innotescat, id quod statuimus omnimodis esse seruandum. Si quis autem hæc salubriter constituta temerare tentauerit, sponte sua se a nostra nouerit communionem discretum. Hoc autem priuilegium formatarum sancto Patroclo fratri & coepiscopo nostro meritorum eius speciali contemplatione concessimus.

## II.

Iussimus autem præcipuam, sicuti semper habuit, metropolitano episcopo Arelatensium ciuitatis in ordinandis sacerdotibus teneat auctoritatem. Viennensem, Narbonensem primam, & Narbonensem secundam, prouincias ad pontificium suum reuocet. Quisquis vero posthac contra apostolicæ sedis statuta, & præcepta maiorum, omisso metropolitano episcopo, in prouinciis supradictis quemquam ordinare præsumpserit, vel is qui ordinari se illicite sciuerit, vterque sacerdotio se carere cognoscat. Quomodo enim potest auctoritatem summi pontificis obtinere, qui quæ erant pontificis seruare contempsit?

## III.

Omnes sane admonemus, vt quique finibus territoriiis suis contenti sint: de qua re, ne ad nos querela ulterius redeat, admonemus. Dedit enim exemplum Arelatensis ecclesia, quæ sibi Citharistam & Gargariam parochias in territorio suo sitas incorporari iure desiderat, ne de cetero ullus sacerdos in alterius sacerdotis præsumat iniuriam. Sane quoniam metropolitane Arelatensium vrbi vetus priuilegium minime derogandum est, ad quam primum ex hac sede Trophimus summus antistes, ex cu-